

cipes ergo temporales proprio nomine saecularia negotia administrant; imo, in hac gerenda administratione, quoties agitur de solo interesse temporali, dici queunt aliquo sensu supremi et primi post Deum; siquidem tunc a nullo licite dirigi et coerceri valeant, omnesque, etiam pontifices, praeter Papam, qui in eorum ditione degunt, illis se subicere teneantur. Papa autem horumce principum leges ut proprias aestimare debet, et ob communem aedificationem ab illis infringendis, extra casum necessitatis, abstinere, quamvis illis non vere subiciatur.

3^o Haec sententia communis fuit ante Bellarminum et Suarezium, praesertim apud praecipuos antiqui juris pontificii interpretes. Melius concordare videtur cum quibusdam doctorum textibus, qui asserunt utrumque gladium, spirituale et temporale, esse Petri, licet diverso modo utatur; luculentius aperit qua ratione Papa sit Christi Sacerdotis et Regis vicarius; et per hanc efficacius, in praxi, removetur dubium de validitate actuum quibus Papa regit et coercet potestatem temporalem.

326. 2^a sententia, quae stat pro potestate indirecta, et post Bellarminum et Suarezium evasit communis, sic proponitur et probatur:

Deus auctor potestatis temporalis, hanc societatis civilis rectoribus dedit, et quoad jurisdictionem ipsam, et quoad illius immediatam executionem, pro fine temporali obtinendo. Dedit etiam Ecclesiae supremam auctoritatem pro fine spirituali ultimo, cui omnes alii fines subordinantur, et eo ipso voluit ut Ecclesiae competere jus dirigendi et coercendi potestatem temporalem, quoties id exigeret finis spiritualis ne-

cessitas; et illud jus in temporalia, ut patet, non est directum, sed *indirectum*; quia possidetur et exercetur, non in ordine ad finem temporalem, sed in ordine ad spiritualem.

Hanc potestatem indirectam ingeniosa comparatione sic explicat Bellarminus (*De Rom. Pont.*, lib. V, c. VI): « Ut se habent in homine spiritus et caro, « ita se habent in Ecclesia duae illae potestates. Nam « caro et spiritus sunt quasi duae respublicae, quae et « separatae et conjunctae inveniri possunt. Habet « caro sensum et appetitum quibus respondent actus « et objecta proportionata, et pro fine, animae sanitatem et perfectionem. Invenitur caro sine spiritu « in brutis, invenitur spiritus sine carne in angelis. « Ex quo apparet neutrum esse praecise propter « alterum. — Invenitur etiam caro adjuncta spiritui « in homine, ubi, quia unam personam faciunt, necessario habent subordinationem et connexionem. « Caro enim subest, spiritus praeest, et licet spiritus « non se misceat actionibus carnis, sed sinat eam « exercere omnes suas actiones, ut in brutis exercet; « tamen quando eae officiunt fini ipsius spiritus, spiritus carni imperat, eamque castigat, et, si opus « est, indicit jejunia aliasque afflictiones, etiam cum « detrimento aliquo et debilitatione ipsius corporis, « et cogit linguam ne loquatur, oculos ne videant... « Pari ratione, si ad finem spiritus obtinendum necessaria sit aliqua carnis operatio, et ipsa etiam « mors, spiritus imperare potest carni, ut se ac sua « exponat, ut in martyribus vidimus. — Ita prorsus « politica potestas habet suos principes, leges, judicia, etc., et similiter ecclesiastica suos episcopos,

« canones, judicia. Illa habet pro fine temporalem
« pacem, ista salutem aeternam. Inveniuntur quan-
« doque separata, ut olim, tempore Apostolorum, quan-
« doque conjunctae, ut nunc. Quando autem sunt con-
« junctae, unum corpus efficiunt, ideoque debent esse
« connexae, et inferior superiori subjecta et subordi-
« nata. Itaque spiritualis non se miscet temporalibus
« negotiis, sed sinit omnia procedere, sicut antequam
« essent conjunctae, dummodo non obsint fini spiri-
« tuali, aut non sint necessaria ad eum consequen-
« dum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas
« potest et debet coercere temporalem, omni ratione
« ac via quae ad id necessaria videbitur. »

327. Quae sententia sic explicata primae antepo-
nenda est.

1° *Melius congruit Scripturae.* Verba enim
Christi ad Petrum : *Pasce oves meas*, sunt de solo illo
primatu quem antea promiserat. Atqui promissio
Christi : *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam
meam.... Tibi dabo claves regni coelorum*, non est
nisi de spirituali regno, ac proinde de primatu spi-
rituali.

2° *Melius congruit traditioni*, his scilicet testimo-
niis, in quibus asseritur potestatem principum esse
supremam in temporalibus, et a potestate ecclesiastica
prorsus distinctam, et in ordine civili omnino inde-
pendentem. Specialiter notare juvat Leonem XIII, in
sua *Encycl. Immortale Dei*, de potestate civili et
ecclesiastica dicere : « Utraque est in suo genere
« maxima,... genere et jure perfecta. » Talis autem
non esset potestas temporalis, juxta primam senten-
tiam.

3° *Melius congruit rationi.* Potestas enim tempo-
ralis ex primatu naturaliter non defluit; non est igitur
Papae adjudicanda, nisi id Christus se velle expresse
declaraverit, aut sit bono Ecclesiae necessaria. Atqui
nullibi legimus hanc Christum Ecclesiae suae expresse
contulisse; nec videtur Ecclesiae bono necessaria,
cum ad bonum illud procurandum potestas indirecta
plane sufficiat.

Insuper, in praxi in idem recidere videtur haec
nostra sententia ac prior. Equidem, si potestas Papae
sit directa, efficacius, ut diximus, removetur dubium
de validitate actuum quibus exercetur; at etiam juxta
nos, quoties aliquid de temporalibus disposuerit Ponti-
fex, omnes obedire tenebuntur, quia solus est causae
judex; et ideo nemini licebit adversus ipsum exceptio-
nem praetendere propter defectum causae sufficientis.
De caetero, per assistentiam specialem Spiritus sancti
dirigitur, ne in usu suae potestatis male se gerat; et,
ex ea parte, multo minus timendi sunt excessus quam
ex parte principum temporalium. Demum prior sen-
tentia Sedem Apostolicam apud multos redderet odio-
sam, et ita fieret discordiarum semen.

328. Dico 3° : *Praedicta potestas Ecclesiae exer-
cetur, non tantum per actus ordinis spiritualis,
sed per actus ordinis etiam temporalis, seu per
actus rem temporalem immediate attingentes.*

(Vide Bouix : *de Papa*, pars 4, sect. 7, § 1 et 2. —
Moulat : *l'Eglise et l'Etat*, p. 181.)

Potestas indirecta Ecclesiae, circa res temporales
societatum civilium, non eodem modo ab omnibus in-
telligitur.

Juxta Joannem Antonium Bianchi Franciscanum et quosdam alios, Ecclesia nunquam potest sua auctoritate immediate attingere negotia ordinis civilis aut politici, etiamsi id faceret propter necessitatem finis spiritualis; seu, non potest principes civiles a jure imperandi destituere, edere leges circa res temporales, causas seculares ad suum tribunal evocare; sed ad illum pertinet casus conscientiae supra praedictas materias resolvere, definiendo ad quid societatis civilis rectores ex jure divino teneantur, ut sua erga Ecclesiam officia impleant. Potest, insuper, eosdem rectores, ob violationes juris divini aut ecclesiastici in sua gubernandi ratione commissas, reprehendere, judicare, damnare, et etiam poenis spiritualibus ac censuris coercere. Potest imo principes contumaces, non quidem proprie deponere, sed declarare eorum subditos ab omni vinculo erga illos obedientiae solutos. Sicut enim principem qui civium bona ac vitas atrociter invaderet, natio juste repelleret, quia princeps ille violaret conditionem, saltem implicitam, sub qua imperium obtinuit; ita jure repellitur qui exercet auctoritatem temporalem in grave finis spiritualis detrimentum; non enim haec auctoritas ipsi commissa est et committi potuit, nisi sub hac conditione resolutoria, quod non ea uteretur in aeternam suorum perditionem. Attamen, propter gravitatem causae, solius est Ecclesiae judicare, num pactum sufficienter violatum fuerit; et ideo princeps jus suum integrum retinet, donec Pontificis supremi sententia declaratoria de juris amissione constet.

329. Haec sententia, in quantum Ecclesiae attribuit jus dirigendi conscientias fidelium in quibuscumque

materiis, etiam civilibus et politicis, sane vera et inconcussa videtur. Si enim veteres Gallicanos excipias, nemo Catholicorum negat iudicio et auctoritati Ecclesiae subjici actus omnes principis, quoad moralitatem, sive sint actus hominis privati, sive sint actus hominis publici. Hoc quippe evidenter sequitur ex suprema potestate spirituali, quam Ecclesia accepit a Christo ad homines in via salutis dirigendos.

At quod haec eadem auctoritas non possit unquam, propter necessitatem finis spiritualis, immediate attingere res civiles ac politicas, solidis rationibus rejicitur.

1° *Ex fine Ecclesiae.* Auctoritas enim ad obtinendum finem ultimum spirituale directe instituta, non potest esse in suo ordine suprema, nisi conferat jus de rebus inferioris ordinis, temporalis scilicet, disponendi, quando id exigit evidens finis ultimi spiritualis necessitas. Atqui Ecclesiae commissa fuit auctoritas suprema providendi de ultimo spirituali fine obtinendo.

Dixi: *quando id exigit evidens necessitas.* Cum enim auctoritas principis sit etiam suprema in suo ordine, non debet, in hoc civili et politico ordine, alterius ordinis etiam superioris auctoritatem subire, nisi sit necessarium, et non urget necessitas, nisi princeps obsequium ab Ecclesia petitum obstinate recuset.

2° *Ex verbis Christi: Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis* (Matth., xviii, 18).

Christus, sic loquens, concessit Ecclesiae jus vinculum quodcumque *immediate*, sive imponendi sive auferendi in ordine ad finem spirituale, seu, ad salutem

aeternam fidelium. Sed ad salutem aeternam, quandoque necessarium est ut vinculum aliquod, etiam in rebus ordinis temporalis, *immediate* per Ecclesiam imponatur aut auferatur, ubi, scilicet, illi ad quos pertineret non possunt aut nolunt.

3° *Ex historia.* Ecclesia saepe de rebus civilibus ac politicis disposuit per actus etiam ordinis temporalis; sic v. g. a pluribus Pontificibus statuta fuit depositionis poena contra principes contumaces, non praecise eos excommunicando, aut tanquam casum conscientiae decidendo eorum subditos jam ad eis praestandam obedientiam non teneri, sed etiam auctoritative pronuntiando sententiam depositionis, ad cujus legitimitatem invocaverunt Pontifices verba Evangelii ipsi conferentia ligandi atque solvendi potestatem.

4° *Ex periculo sententiae adversae.* Si enim Ecclesia non deponit malos principes, sed tantum e throno dejectos declarat, multi allegabunt sententiam hanc declaratoriam ideo requiri, quia ordinarie difficillimum est privatis judicare de sufficienti gravitate causae propter quam princeps imperio spoliatur. At quandoque sufficientia causae est evidentissima, et tamen Papa, ob injustam detentionem, aut majoris mali timorem, impeditur a sententia proferenda. Quo in casu, multi aestimabunt se jam a vinculo obedientiae vere solutos, et insurgent contra principes. Imo exinde forsitan nonnulli clamabunt, recentioris aevi rectores civiles plerosque suam auctoritatem amisisse, ac rebellionem contra eos licitam esse.

Ergo multo securius videtur affirmare, cum Bellarmino et aliis theologis, per sententiam Ecclesiae vere deponi principes malos et contumaces, non autem

solum declarari illos jus suum amisisse; proindeque nunquam esse licitum adversus eos movere rebellionem, propter motivum ex religione desumptum, nisi auctoritas ecclesiastica suprema eos imperio privaverit.

330. Potest igitur Ecclesia, ubi id exigit finis spiritualis necessitas, per actus etiam temporalis ordinis, saluti fidelium providere. Sic, ut explicat Bellarminus (loco citato, n. 326), 1° quantum ad personas, Papa non potest principes deponere ordinarie, etiam ex justa causa, sicut deponit episcopos, sed solummodo quando id est vere necessarium ad aeternam salutem. 2° Quantum ad leges, Papa non potest leges civiles condere aut confirmare ordinarie; sed si, ne graviter periclitetur finis spiritualis, necessarium sit talem legem condi aut abrogari, et princeps obstinate renuat hanc condere aut abrogare, Papa id extraordinarie praestare poterit. 3° Quantum ad judicia item, Papa non est ordinarius iudex in rebus civilibus ac politicis; sed extraordinarie, ubi id requirit salutis necessitas, et nullus alius velit aut possit rem judicare, Papa poterit causam ad suum tribunal vocare; v. g. ubi duo reges supremi contendunt.

Illa autem Ecclesiae potestas non est praecise temporalis; quia exercetur propter finem spiritualem, cujus cura est directe spirituali auctoritati commissa.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 318.

331. *Ad 1.* Verba Christi: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari*, generali sensu intellecta, probant reddenda esse omnia quae legitimis principibus debentur, et hoc nullus negat. Applicata Caesari tunc imperanti,

probant Judaeis licitum non fuisse adversus eum rebellare; et hoc omnes concedunt. At Christus addidit: *et quae sunt Dei Deo*; porro Deo debetur ab omni humana creatura ut Romano Pontifici subjecta sit; et hoc est quod statuimus in prima conclusione.

332. *Ad 2.* Christus, fugam consulens, attendit ad persecutiones quas passuri erant Christiani in prima aetate Ecclesiae; sed non excludit quin, temporibus securis, potestas ecclesiastica in principes fidem impugnantes animadvertat.

333. *Ad 3.* Sensus litteralis verborum Christi est: *Regnum meum non oritur ex hoc mundo*, seu, non est illi simile quod ab hominibus defertur, et militum subsidio fulciri solet. Ergo, ex hac parte, nihil timendum Caesari. Attamen Christus habet certe regnum in hoc mundo, seu, circa res temporales hujus mundi; unde conclusio adversariorum est latior praemissis.

334. *Ad 4.* Christus evidenter non potuit sibi negare jus haereditatem inter fratres dividendi; voluit tantum declarare se nolle in hujusmodi negotiis tractandis occupari. Pariter, uti diximus, Ecclesia causas temporales societatum civilium non pertractat, nisi sit necessarium bono spirituali.

335. *Ad 5.* Si omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esse debet, ergo temporalis potestas spirituali, tanquam sublimiori, pareat in iis quae ab ea exiguntur.

336. *Ad 6.* Auctoritates Patrum qui in contrarium afferuntur facilem habent explicationem. a) Confitemur cum Tertulliano imperatores esse *primos post Deum*, hoc sensu quod, in causis temporalibus tractandis et exsequendis, nulla sit inter Deum et impera-

tores potestas *temporalis* intermedia. b) Confitemur principes in vitia et peccata ruentes non invenire in tribunalibus civilibus, sicut et alii privati, fraenum quo coerceantur; at certe reperiunt in Ecclesia fraenum excommunicationis, ut adversarii admittere coguntur. Correptio autem quae fit per poenas temporales et depositionem, a Patribus non memoratur propter raritatem. c) Demum confitemur ipsosmet Pontifices, in causis mere temporalibus, potestati civili obsequium praestare, ad sensum n. 325.

337. *Ad 7.* Sic respondet D. Thomas (8. 2. q. XIII, a. 2): « Dicendum quod illo tempore Ecclesia, in sua novitate, non habebat potestatem terrenos principes compescendi, et ideo toleravit fideles Juliano Apostatae obedire in his quae non erant contra fidem, ut majus fidei periculum vitaretur. » Tunc autem solummodo potuit prudenter vindicatam a nobis potestatem exercere, quando variae gentes christianae constitutae fuerunt.

338. *Ad 8.* Si ad servandam distinctionem utriusque potestatis, necesse est ut una earum sit ab altera independens, dicant adversarii cur haec independentia civili potius quam ecclesiasticae tribuenda sit. De caetero, falsum est omnem civilis potestatis actum attingere finem Ecclesiae. Quod enim imperator aut rex aliquis certo modo decernat, v. g., de viis ferreis, de bellicorum instrumentorum forma, de exercituum tribunaliumve ordinatione, et de sexcentis aliis, de se nihil habet imperatoris aut civium salutis aeternae perniciosum.

339. *Ad 9.* Dictum jus nequaquam est inefficax relative ad populos vere catholicos, quales esse omnes

tenentur, et quales de facto exstiterunt per longa saecula. Tunc autem hujus juris exercitium valde prodest, ut testatur historia.

340. *Ad 10.* Si probe intelligatur doctrina a nobis tradita, nihil habet quod juste offendat bonos principes; solis malis displicebit, de quibus non curandum. At valde caeteris proderit, quia eorum auctoritas per directionem Ecclesiae, et sapientior, et fortior, et fructuosior efficietur. Et revera, ex quo reges et principes Ecclesiae jugum excusserunt, jam multitudinis judicio evaserunt obnoxii, eorumque conditio pejor facta est, ut satis ostendit luctuosa rebellionum fere continuarum successio.

341. *Ad 11.* Non negamus jure humano Papam habere posse et revera habuisse aliquam potestatem in causis temporalibus; nimirum: 1° si a principibus eligatur tanquam arbiter ad lites de hujusmodi causis componendas; 2° si principes se Papae constituent feudatarios, sua regna illius tutelae committendo, ea lege, ut, ubi conditiones pacti violaverint, imperium ab eis auferatur et tradatur alteri; 3° si, ex jure passim apud christianas gentes introducto, certa delicta aut certae poenae ecclesiasticae secum importent civiles effectus, etiam spoliandi ab omni temporali dignitate; quia tunc Papa de praefatis delictis judicans, aut has poenas infligens, indirecte res temporales attingit.

At contendimus hos titulos nequaquam sufficere ad vindicandam Ecclesiae potestatem, qualis evincitur argumentis modo allatis, tum ex Scriptura, tum ex doctrina scholasticorum, tum ex modo loquendi et agendi Pontificum, tum ex ratione. Insuper, auctoritas

Pii IX, Leonis XIII, et recentiorum theologorum demonstrat hanc Ecclesiae potestatem hodie non cessasse, licet jam esse desierint feudatarii Papae, nec amplius vigeat jus illud commune quod mediae aetati adscribitur. Ergo haec potestas habet fundamentum necessarium et universale, seu, nititur jure divino.

DISSERTATIO TERTIA

DE PRAECIPIIS OFFICIIS SOCIETATIS CIVILIS ERGA
ECCLESIASTICAM

342. Primo exponendus est error Liberalismi quo societas civilis a suis erga Ecclesiam officiis plus minusve eximitur; dein, haec eadem officia indicanda et demonstranda erunt; quorum alia, ex solo jure divino profluentia, sunt aut negativa aut positiva; alia vero ex jure humano per concordata introducto oriuntur. Quae omnia quinque quaestionibus absolvemus.

QUAESTIO I^a

In quo consistat error Liberalismi?

(Vide D. Benoît : *les Erreurs modernes*, t. 2. p. 230. — Brugère : *de Eccl.*, append. XIII. — Liberatore : *l'Egl. et l'Etat.* — Moulart : *l'Egl. et l'Etat.*)

343. Resp. Nonnulli, ut vidimus n. 250... 255, necnon 182, falluntur circa societatis civilis erga Ecclesiam officia, tribuendo communitati fidelium aut principibus saecularibus jura indebita super res sacras;